



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorvm Regvlarivm Ordinis S. Avgvstini Origines ac
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt XX. Pollingense Monasterivm, Canonicorum hodie regularium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11321

sunt, & in monasterij summo altari, in argenteis pheretris quiescunt, *s. Ragenfredus* in medio, *B. Aldeberti* (qui tamen non est canonizatus) in dextro latere, in sinistro verò *s. an-
dæ Reginæ*.

Est autem dominium pagus apud Valencenas, in finibus diœcesis Atrebatenfis, quam eo loci Scaldis terminat. Ibique S. Regina pingitur cum corona in capite, cuius causa ex ante dictis colligi potest, & cum baculo Abbatiali, quia vel prima præfuit, vel si filia memoretur prima, ipsa tanquam fundatrix videtur honorari insignibus Abbatissæ. Sic ferè Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij. De hoc Monasterio vide plura in libro de monasterijs Benedictinis Belgij, per nos edito.

CAPUT XX.

POLLINGENSE MONASTERIVM,
Canonicorum hodie regularium.

POlling Monasterium fundatur pro sacratis virginibus vnà cum alijs septem monasterijs per Landfridum, VValdramum & Elilandum, fratres, Comites ab Antorf & Loysa, vt latius de ipsis in monasterio Burenſi traditur. Tassilo Dux, filius Vtilonis, Pollingen & VVesseſpruun ampliauit, & instaurauit. Nam iuxta monumenta Pollingenſia, Tassilo Dux ibi venatus, cerua dum fugit canes

canes insequentes, subito substitit, terram effodere non cessans pauida: terræfactus Dux effudit crucem, tabulæ affixam, creditur esse ex cornu piscis confecta: Dedicatum est hoc templum à D. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino VI. Kalend. Maij. Tassilo obiit Idibus Decembris, anno 788. iuxta versiculum:

Idibus in ternis deceſſit ille Decembris.

Deuaſtatur vnà cum alijs monasterijs per Vngaros, anno 973. posteà per Henricum sanctum reficitur & dotatur, cuius diploma tale eſt:

In nomine Sanctæ & indiuidue Trinitatis. Henricus diuina fauente clementia Rex, si Ecclesiæ Dei loca alicuius doni interuētu meliorare & ditare studerimus, nobis id profuturu esse minime dubitamus. Quapropter omnium Christi fidelium præsentium atque futurorum nouerit universitas, qualiter nos diuini amoris instinctu ac remedio animæ noſtræ, interuentu atque petitione Engelberti, Episcopi Frisingensis Ecclesie, tale prædium, quale in villis Pollinga, Veilhaim, Vbingen, Rieden, Ainstertin, Aschering, Hohenvvanc, Pfaffenhouen nominatis, monasterio in honorem S. Saluatoru Domini nostri I E S V Christi, in eadem villa Pollinga constructo, prius pertinere videbatur, situm in Comitatu Alberonis Comitis, & in pago Housi, in beneficium datum multis fuit, nunc etiam cum omnibus eius pertinentijs

F 3 ſeu

seu appendicijs, areis, ædificijs, pratis, pascuis, quæ
fitis & acquirendis, atque cum familijs virius-
que sexus, siue cum omnibus quæ quolibet modo
dici, aut nominari possunt vtilitatibus atque cum
cortalibus, decimationibus, in illis duabus villis, V-
bingen, & Ascheringen dictis, per hanc nostram
regalem paginam corroborando & confirmando
ei monasterio, ad usum & stipendia fratrum inibi
Deo famulantiū integrè cōcedimus atq; largimur,
ac de nostro iure ac dominio in eius ius, & domi-
nium transfundimus.

Signum D. Henrici Regis invictissimi, Gun-
therius Cancellarius vice Villigisi Archicapellani
notauit. Datum XV I. Kalend. Maij, indictio-
ne 8. anno 1010. Anno vero Henrici II. regnan-
ti octavo. Actum Regenspurch feliciter. Amen.

Ex quo apparet tempore huius restitutio-
nis ibidem fuisse religiosos. Sribit Auenti-
nus in Annalibus suis: Polling & Schlechdorf
ab Vngaris affliguntur, amotis illis fratribus, my-
stæ D. Aurelii Augustini nominantur. Fuerunt ni-
hilominus ibidem etiam moniales, sicut in
plerisque alijs, quas Gisala Imperatrix, Con-
radi Salici vxor (quæ obiit vi. Kalend.

Februarij anno 1041. 42. vel 43.)
eiecit ex illo loco, substi-
tutis Canonici\$.

(. . .)

CAPUT